



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

S. D. N. Pauli Papae V. Epist. ad Eliam Babylonis Patriarcham.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

solueris in terra, sit solum in celo. Et non ob-
stam, sicuti reliqui heretici contra preceptum san-
ctorum Apostolorum; & Patrum Orthodoxo-
rum, qui affirmauerunt, quod Sedes Romæ Ma-
gna teneret principatum; & ipsa est caput omniū
sedium; absit à me; sed fateor, quod Ecclesia Roma-
na sit Mater Ecclesiarum. Et qui hoc non ita fa-
tetur, sit anathema. Et sedes nostra Babylonica
non ex se electa est, sicut aliorum hereticorum, qui
sine lege multiplicauerunt Patriarchas in mundo,
sine sede Ecclesie Magnæ Romæ; sed ex precepto
Papæ, & ex consilio Ecclesie Romæ electa est sedes
Babylonis; & ita scriptum inuenitur apud nos in
annalibus; quod videlicet Patres Orientales Ro-
mæ ordinabantur. Sed factum est postea, ut cum
mitterent homines propter confirmationem, in iti-
nere interficerentur: & cū diu hoc fecissent omnes
peribant. Hoc autē Ecclesie, et Pontifici narrato,
Pontifex consilio inuito decreuit, & dixit: Ordine-
mus eis Patriarchā, & permittamus, ut Patriar-
chas sibi eligant, ne in uia intereant propter con-
firmationē, neq̄ eis mala accidant, & nos pece-
mus, aut ipsi sint extra ouile Romæ. Sic itaq̄ acce-
pimus potestatem usque adhuc, & non à nobis ipsis
aliquid fecimus, ut reliqui, qui Apostolorū cano-
nes conculcauerunt, & leges Patrum; & imple-
uerunt terram Patriarchis sine necessitate. Pro-
pter hoc uocata est Sedes Babylonis quinta, propter
quattuor Sedes quattuor Euangelistarum; & ex
eo quod electus est Patriarcha cum confirmatione
Romana, & dedit nobis facultatē, ut constitua-
mus pastores, tūc uocata est sedes Babylonis, quæ
quattuor comitatur sedes, & quinta numerata
est, sicut una ex his. Etenim, o Pater, ecce Fi-
des mea peruenit ad tuam Sanctitatem cum
epistolis, & uideas si est dolus in professione
nostra, aut est error, aut recessio quædam à
Matre nostra Ecclesia Romana; ADMO-
NE, ET FACIEMVS, DOCE, ET OBE-
DIEMVS. Et si in omnibus veri sumus ante
Sedem tuam, & nō est dolus in Fide nostra; pe-
timus à benignitate tua, ne paupertatis seruorum
tuorum obliuiscaris; quoniam multi ex professione
nostra, pericula tulerunt, cum apud uos uenerint.
Aliqui enim ex his mortui sunt; alij interfecti ab
hostibus; & pauci reuersi sunt, & peruenierunt
ad nos. Et hoc sufficiat Sanctitati tue à nostra
humilitate, quod ex ultimis Orientis partibus su-
per capita, & oculos nostros, precepta tua fera-
mus, & uenimus contra omnes nationes sanguine
nostro, & sustinemus calamitates, ut ante excel-
lentiam uestram adoremus, & benedictionem
a Matre Ecclesia Magna Pauli, & Petri acci-
piamus nos humiles, & subditi. Quis urget nos,
ut hoc faciamus, nisi Fides Christiana, & amor
uester erga humilitatem nostram? Et hoc, quod

A uestræ sapientie indicauimus, sufficiat, sed hunc
totum laborem sustinemus propter Romanam Ec-
clesiā. Et ministri uestri Ierusalem tenent omnes,
qui sunt ex professione mea tanquā exteros, atque
rebelles ab Ecclesia Romana; & nō gratificantur
nobis sicut antea; quoniam interpretes eorum sunt
ex professionibus, quæ nos habent odio, & ipsi mi-
nistri uestri non inquirunt ueritatem. Petimus
à Sanctitate tua, ut admoneas eos, ut tanquam
eos, qui sunt ex professione tua, nos teneant, & be-
neuolos se reddat ijs, qui sunt ex professione nostra.
B Ego uerò litteras misi ad preceptores uestros,
ut dominarentur in Ierusalem ijs, qui sunt ex
professione nostra, quoniam apud nos scriptū est in
annalibus, quod Archiepiscopus noster, qui erat in
Cypro, & ijs, qui sunt ex professione nostra, qui ha-
bitant Ierusalem; & Clerus, qui erat in Mona-
sterio S. Iacobi Nisibi, inter filios Ecclesie Rom.
numerantur, propter amorem Paternitatis uestræ
erga humilitatē nostram. Et nunc qui sum ego, om-
nes mei, & omnis pars Orientalis? Nos tanquam
balbutientes corā Sanctitate tua, sed tanquā serui
obedientes tuæ Dominationi subdimur, & intelle-
ctu à scissionibus alieno pedes sanctos tuos deoscu-
lamur, & summa cupiditate salutem Sanctitati
tuæ desideramus, & ad orationes uestras, &
conseruorum tuorum Petri, et Pauli confugimus,
ut digni efficiamur peccatorum remissione in die
Iudicij terribilis Dei Verbi; cui & Patri suo, &
Spiritus sancto sit honor, & gloria in secula se-
culorum. Amen.

S. D. N. PAULI PAPÆ QVINTI,

EPISTOLA

AD ELIAM BABYLONIS
PATRIARCHAM.

PAVLVS PAPA QVINTVS.



VENERABILIS Frater, Salutē,
et Apostolicam benedictionem.
Duplici affectu, letitia, atque
commiseratione, nec sanè leui,
commonerunt charitatis nostræ
E uiscera literæ, quas à Fraternitate tua Nobis
reddidit dilectus filius Adam Archidiaconus, ut
scribis, Camera tuæ Patriarchalis, & Monachor-
um tuorum Archimandrita, quem ad Nos mi-
sisti. Letabamur quidem summopere, ex reueren-
tia, ac deuotione, quam profiteris summā erga san-
ctam Beatissimi Petri Principis Apostolorum Se-
dem; eoq̄ magis quia hoc uerè Christiane pieta-
tis studium perpetuò uiguisse in Ecclesia tua scri-
bis. Miserabamur autem, uel potius angebamur,
quod cum hac ueneratione Apostolicæ Sedis,
7011

non eandem doctrinam Catholicae Fidei, quam ipsa proficitur; reperiebamus. Sed misericordiarum Patri Deo gratias agimus, quia te quoque vehementer commotum fuisse ob hanc diuersitatem vidimus: in quo diuitias ineffabilis eius clementiae agnoscimus, & peculiarem quandam erga te immense misericordiae suae gratiam. Nam tametsi ex diligentia, atque sollicitudine, qua rationem tantae discrepantiae exquisuisti; te valde prudentem, & accuratum in pastoralis tuo munere deprehenderimus; nihilominus cum nimis compertum sit, quantum referat non modo in his, quae ad Fidem pertinent; sed in qualibet doctrina, quomodo quis educatus fuerit; fatendum planè videtur, totum hoc miserentis Dei opus fuisse; ut dum omnes antecessores tui, ac nationis vestrae Doctores, semper existimauerunt, ut dicis, se rectè de Fide sentire, nec ab Ecclesia sancta Catholica, & Apostolica Romana in alio, quam in modo loquendi differre; primus dubitare caperis; sedulo veritatem quaesieris; nec temerè tuorum responsioni, quamuis desiderio tuo congruerit, acquieueris; sed piè, ac sapienter Nos, ac sanctam hanc Sedem consulere volueris. Peramanter itaque Archidiaconum tuum excepimus; professionem Fidei vestrae, & quo pacto tam diuersa dogmata componi, & ad unum sensum redigi posse existimaret; audiuimus. Sed mutauit ille suam sententiam: etenim cum nullam prorsus haberet notitiam sacrorum Conciliorum, ut manifestè apparebat ex Commentario, quem de hac compositione, & consensu, scriptum à se, mandato tuo ad Nos attulerat; & ex disputationibus, quas habuit satis diuturnas, ac frequentes cum viris pietate, ac doctrina praestantibus, quibus ut illum docerent Catholicam veritatem, mandauimus; & ipse quoque ingenuè fatebatur: posteaquam ostensum illi fuit, damnatum fuisse Nestorium à sanctis Patribus in Concilio Ephesino, ob has nefarias blasphemias, nempe quia impiè assererat, Christum Dominum nostrum fuisse purum hominem; & Verbum Dei inhabitasse in eo, tanquam in templo; ita ut diuinitatem, & Humanitatem diceret in ipso accidentaliter coniunctas, & non substantialiter, & hypostaticè unitas; & Beatissimam, immaculatamq; Virginem Mariam hac de causa non Matrem Dei, sed tantum Matrem Christi appellandam: similiter duas in uno Filio fuisse personas, puri scilicet hominis, ac Verbi Dei; Hominem à Deo assumptum, ob assumptionis coniunctionem, non autem proprie, dicendum esse Deum; eguisse propitiatione, sicuti ceteri homines egent; paulatim ad Pontificiam dignitatem euectum esse; & non minus pro se, quam pro nobis sacrificium Deo obtulisse; à Spiritu san-

A Etò tanquam ab aliena virtute glorificatum; ac demum non aliter, quam Moyses dictus fuit Deus Pharaonis, Dominum nostrum Iesum Christum existimandum esse Deum. Quibus omnibus diligenter, ac sedulo recognitis, post annum elapsum, & amplius; Nestorium tandem, & omnes, qui cum eo haec, & similia sentiunt; alacri animo damnauit, & anathematizauit. Pari quoque pacto fuit illi demonstratum ex determinatione sextae Synodi vniuersalis, quae tertia est Constantinopolitana, duas esse in Christo Domino voluntates, ac duas operationes, sicut duae sunt in eo naturae: contrarium autem, tanquam blasphemum, & hereticum, à sanctis Patribus fuisse reprobatum; qui synodali decreto Macarium Patriarcham Antiochenum Episcopali dignitate propterea priuauerunt, & à communione Ecclesiae sanctae Catholicae separauerunt; quia ausus fuerat impiè asserere cum Theodoro Episcopo Pharaniano, Sergio, & Petro Episcopis Constantinopolitanis, Cyro Episcopo Alexandrino, damnatis hereticis, unam tantum esse in Christo voluntatem, atque unicam operationem. Vidit similiter Decretum in Concilio Florentino vniuersali, à felicitis recordationis Eugenio Quarto praedecessore nostro factum, de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio; cui Patres omnes Ecclesiae Latinae, ac Graecae pariter subscripserunt, ipso Graecorum Imperatore praesente; qui ad remouendum Graecorum schisma, Synodi vniuersalis congregationem curauerat; & ex Regia Vrbe Constantinopolitana in Italiam venerat. Ex quibus omnibus Archidiaconus tuus Orthodoxa veritate percepta, quam Ecclesia sancta Catholica Apostolica Romana docet, de altissimis mysterijs Incarnationis Verbi Dei, & processionis Spiritus sancti, errores suos proprios, atque nationis vestrae communes agnouit; quos spontè, & ingenuè coram dilecto filio Magistro Commissario Officij sanctae Inquisitionis confessus, ac detectus est; illosq; auctoresq; illorum, Nestorium, Theodorum Mopsuestenum, Diodorum Tarsensem Macarium Antiochenum, ceterosq; omnes hereticos, atque heresiarcas ab Ecclesia sancta Romana damnatos, cum eorum haeresibus, & impietatibus abiurauit, damnauit, & anathematizauit. Et quia venerabilis Frater à Nobis efficaciter postulasti, ut tibi errores significaremus, quos in Fide vestra reperissemus, illosq; corrigeremus; paratum quippè te exhibeas cum Archiepiscopis, & Episcopis obedientiae tuae subiectis, ad correctionem recipiendam; iusto, pioque tuo desiderio satisfacere cupientes, ac simul ut adimpleremus praecipuum, quod à Domino in Beati Petri persona accepimus, ut videlicet confirmaremus fratres nostros in fide: mandauimus, cuncta,

cuncta, quæ dilecto filio Adæ Archidiacono tuo ostensa fuerunt de sacrorum Conciliorum Decretis, diligenter describerentur; & in Chaldaicum idioma fideliter verterentur; & ad fraternitatem tuam mitterentur. Igitur accipies cum his nostris literis descriptionem errorum, immò blasphemiarum impij Nestorij, ut in Concilio coram Patribus recitatae fuerunt; cuius initium tale est: Petrus Presbyter Alexandriae, Notariorum Primicerius dixit: Habemus præmanibus Reuerendissimi Nestorij blasphemiarum commentarios, &c. Accipies pariter epistolam à Beato Cyrillo Episcopo Alexandrino, atque Synodo Alexandriae congregata, ad Nestorium scriptam; qua fraternè illum erroris sui admonent; atque duodecim capitibus, quid de ineffabili mysterio Incarnationis tenendum Catholicè sit, declarant. Incipit autem sic: Cum Saluator nolter apertè pronuntiet, &c. Monuerat Beatus Celestinus Primus, prædecessor noster Nestorium; & de illius salute sollicitus, correctionem eius curandam Beato Cyrillo mandauerat: ea ratione, ut nisi ad præfinitum tempus respuisset; illum auctoritate Apostolica, ab Ecclesia communione separaret. Itaque Cyrillus coacta Alexandriae Synodo; epistolam, cuius exemplum tibi mittimus, scripsit. Sed Nestorius ex admonitione deterior, ac magis contumax, detestabiliores semper euomens blasphemias; grauiores turbas in Ecclesia excitabat. Quarè Synodus vniuersalis Ephesi conuocatur, cui Cyrillus Viceces Celestini Papæ gerens, auctoritate eius Apostolica præfuit: in qua recognitis, examinatisque erroribus Nestorij, cum ipse noluisse sistere se Concilio; & unanimi Patrum sententia Synodali decreto damnatus fuit: cuius damnationis exemplum tibi quoque mittimus, quod ita incipit: Sancta Synodus dixit: Cum præter cetera, &c. Sed damnato, depositoque Nestorio, atque in exilium ad Libyæ desertam deportato; scriptisque suis ubique locorum concrematis; nihilominus ignis hæreseos extinctus omnino nõ est; sed flamma tantum compressa, quæ longè, latèque diffusa erat. Nam scintille unde hoc incendium initium habuerat, latitantes permanserant: scripta nempe Theodori Episcopi Mopsuesteni, qui Nestorij magister extiterat. Neque enim à Patribus antea animaduersa fuerant, vel quia non satis vulgata, vel quia Theodorus ob grauissimam pugnam, quam susceperat, atque sustinuerat de mysterio Incarnationis aduersus Apollinaristas, tantam sibi doctrine, ac pietatis famam comparuisset, ut nè dum suspensus non esset, immò verò inter Orthodoxos, grauissimæque Ecclesie Patres haberetur. Igitur Heretici, quod Nestorij nomine amplius profiteri non

A poterant, Theodori auctoritate docere, ac tueri nitebantur. Hinc temporis progressu adeò magna perturbatio exorta est in Ecclesia Dei, ut post Chalcedonensem Synodum, quartam videlicet vniuersalem, iterum sancti Patres coacti fuerint conuenire Constantinopolim ad vniuersale Concilium; in quo Theodori Mopsuesteni dogmata recitata, diligenterq; animaduersa, & examinata, ac demum damnata, & anathematizata fuerunt. Huius autem examinis, atque damnationis exemplum, nec non Fidei sceleratum Symbolum Theodori Mopsuesteni, ex actis eiusdem quintæ Synodi vniuersalis descriptum tibi mittimus, cuius initium est: Sancta Synodus dixit: Ad longum tempus extensis quæ de Theodoro mouentur, qui Mopsuestenæ Sanctæ Ecclesie fuit Episcopus, &c. Quibus omnibus existimauimus, fore ut satis innotescere fraternitati tue possent errores, qui cum Nestorio, atque Theodoro Mopsuesteno vobis communes sunt: & quàm execrabile, atque Catholica Fidei contrarium sit, negare Beatissimam, semperq; Virginem Mariam esse verè matrem Dei; & in Christo duas personas ponere. Pari pacto tibi mittimus Decretum sextæ Synodi vniuersalis Constantinopoli celebratæ; quo sancti Patres actione decima octaua desinuerunt, eadem ratione confitendum esse duas in Christo esse voluntates, atque operationes, quæ credimus, duas esse naturas, in vna eius radiantibus subsistentia; nec vlli licere aliam Fidem profiteri, aut docere. Incipit autem: Præfens sancta, & vniuersalis Synodus, fideliter suscipiens, &c. Ex quo non tantum quid Catholicè credendum sit, intelliges; verum etiam cognosces, quàm grauiter peccent, qui importunis interpretationibus contrariam sententiam, damnatamq; impietatem tueri student. Postremo mittimus tibi Decretum à felicitis recordationis Eugenio Quarto etiam prædecessore nostro, in Synodo vniuersali Florentina factum, de processione Spiritus sancti; cuius initium est: Eugenius Episcopus seruus seruatorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, Latentur cæli, &c. Apertè in hoc Eugeni Decreto videbis, omnes pariter Latine, & Græca Ecclesie Patres confessos fuisse, Spiritum sanctum à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio procedere: & quamuis Græci à Patre per Filium procedere Spiritum sanctum dicant, non ob id tamen, qui rectè sentiunt, processionem hanc aliter, quàm ab vtroque equaliter intelligunt. Nullo autem modo dicendum, Spiritum sanctum à Patre solo procedere; hoc enim hereticum, atque damnatum est. Ideo sancta Romana Ecclesia, omnium aliorum Mater, & Magistra, diuinitus illustrata; ad euitandam omnem suspi-

Disput. cap. viij. pag. 65.

Disput. cap. viij. pag. 69. b.

Disput. cap. viij. pag. 79.

Isti errores inueniuntur cap. 11. pag. 95.

Disput. cap. 20. pag. 159.

Post Epilegum pag. 188.

cionem huius impietatis, opportunè declaratura eiusmodi processionem; non addens, sed exponens, posuit in Symbolo illud: Filioq; procedit. De incomprehensibilibus igitur mysterijs salutiferæ Incarnationis Verbi Dei, atque æterna processionis Spiritus sancti, sic definitum fuit à Sanctis Patribus; & ita credat, oportet, quicumque profitetur Catholicam Fidem. Declarationes, expositiones, conciliationes omnes, quæ vel contrarias sententias defendunt, vel eas ad sensum Orthodoxæ veritatis redigere conantur; non modò vane, ac superflua; sed damnatae, ac reprobatae. Sunt enim hereticorum commenta, quibus eorum impietatem, quam profiteri amplius manifestam non poterant; fucata defendere conabantur. Nam sectatores Nestorij nefaria eius dogmata, ex commentarijs, ut diximus, Theodori Mopsuesteni, à quo virus perditissima hæresis hauserat; & ex his, quæ ab eius fautoribus contra Beatum Cyrillum, sanctamque Ephesinam Synodum scripta fuerunt; callidè instaurare, atque in vulgus serere studuerunt. Unde magna Orientis pars postmodum infecta fuit, præcipuè Chaldei, qui hac de causa deinceps Nestoriani dicti sunt. Propterea monemus fraternitatem tuam, atque efficacissimè hortamur, ut Theodori Mopsuesteni scripta, pariterque Diodori Tarsensis, qui cum eo pessimè sentiebat; lethalis huius messis infauista semina, si, ut accepimus, apud vos reperiantur; delere, effringere, penitusque ex vestra natione exterminare omninò studeas. Quippè Theodorus tanquam hereticus, ac pessimæ doctrinae auctor, à Sanctis Patribus in quinta vniuersali Synodo, ut videre poteris, secunda videlicet Constantinopolitana, damnatus est. Remoto autem hoc obstaculo, facillè ut confidimus, cooperante diuina gratia, Catholicam veritatem contra aduersariorum mendacia tueberis, præsidio auctoritatis sanctorum vniuersalium Conciliorum, quorum decreta tibi mittimus. Quibus sicut fraternitatem tuam, ceterosque venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos, atque eruditores Monachos, & Sacerdotes vestre nationis instruere aduersus hereticos curauimus; ita & reliquorum necessitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes; quamplurimos libellos professionis Catholicæ Fidei, & Christianæ doctrinae typis Arabicis excusos, eidem Adæ Archidiacono tuo, perferendos ad vos dedimus. Abundè satisfecisse nos hæcenus tuo desiderio credimus, venerabilis, ac dilectissime frater. Habes namque à Nobis certissimam doctrinam Catholicæ Fidei, & firmissima fundamenta, quibus ipsa nititur. Docere igitur tuos veritatem, aduersariorum mendacia, atque malitiam redarguere sufficien-

A ter poteris. Reliquum modo est, ut eodem zelo, quo veritatem cognoscere concupiuisti, cures, nitaris, efficias, ut ipsam nunc vobis declarata, & patefacta, ceteri quoque recipiant. Nos autem alacri animo pios labores, atque conatus tuos in propagatione Orthodoxæ Fidei semper adiuuabimus: & quò maiores progressus vestros in recta doctrina audierimus, eò magis prompti, ac parati erimus ad nostrum auxilium vobis subministrandum; sicut Archidiacono tuo vberius declarauimus. A quo particulam salutiferi ligni sanctissime Crucis Domini nostri, inclusam parua Cruce aurea, ornata lapidibus cælestis coloris, in maioris Crucis formam; atq; librum sanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excusum; & cum his argenteum calicem, & patenam, atque thiarum, ac vestes Pontificales pro solemnibus celebrationibus incrementi sacrificij, diuinorumque officiorum; nec non duos alios libros iisdem characteribus Arabicis impressos, vtilis ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum: nam fore illos tibi valdè gratos, ipse communis noster filius Adam Nobis ostendit. Quæ omnia fraternitati tuæ ex benedictionibus sancti Petri mittimus; ut signum aliquod à Nobis habeas sinceræ, ac perfectæ dilectionis, qua te in visceribus Christi complexi sumus. Quem tuum Archidiaconum valdè tibi commendamus; & pro peculiari nostro in eum amore, tanquam filium Nobis valdè charum, ut præcipuè diligas, desideramus. Toto enim tempore, quo apud Nos mansit, piè admodum vixit; monastica vite suæ institutam religiosè obseruauit, zelum veritatis agnoscendæ eximium prætulit; assiduus in expeditione negotij sibi à te commissi, fuit; in exponendis vestris de Fide opinionibus diligens, & accuratus, sed minimè pernicax; in recipienda vestrorum errorum correctione docilis, atque morigerus: demum ita se in omnibus gessit, ut merito beneuolentiam omnium, qui aliqua de causa cum eo egerunt, sibi conciliauerit. Quare si rem Nobis gratissimam facere desideras, virtutem, & probitatem ipsius, omni honorificentia maiori, qua poteris, nostra causa augebis, non enim dubitamus, quin optimè collocaueris quicquid honoris, ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus suis tam magnis, tamq; laudabilibus præmium tribues, quod maximè desideramus. Deum misericordiarum, ac Patrem luminum oramus, ut opus, quod ineffabilis sua clementia cepit in te; perficere per humilitatis nostræ ministerium, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac vestrarum animarum salutem dignetur: & ex intimis nostri cordis visceribus tibi, dilectisq; filijs nationis vestre, qui Fidei Catholicæ

tholica notitiam verè, & ex animo concupiscunt; benedictionem nostram Apostolicam impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die sanctissime Annunciationis B. Virginis Mariæ. viij. Kalendas Aprilis, 1614. Pontificatus Nostri Anno nono.

Petrus Stroza.

ILLVSTRISS. DOMINO
PETRO STROZAE
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
A SECRETIS.

Frater Thomas Nouariensis. S.P.D.



NONIAM ex qua die Babylonem contendens, profectus sum Aleppo, hæc prima se mihi dat occasio, cum testificandi mecum per literas in Dominationem vestram Illustrissimam officium, & obsequium, tum de Patriarcha Babylonico certior em eam faciendi, nunc opportuna ferente commoditate, simul cum leto nuntio breuiter suorum laborum fructus, & quasi carptum proferam, quod temporum angustia, & iam T abellarij preseflinum iter ita flagitent.

Cum ergo anno proximo elapso 16. Kalendas Ianuarij Aleppo discessissem, 10. Kalendas Ian. Vr Chaldaeorum (Nunc Orsam vocant) propè accessi: quo in itinere P. Petrum Metopscitam, secundo ab illo Patriarcha redeuntem offendi, à quo cum post mutuam salutationem, vbi nam esset Patriarcha, quæ erem; vbi Timotheus, & quo se modo res haberet: versari eos respondit Merdinum propè in deserti illius cænobio, quod Mar Bettican vocitant: tum, i porro inquit, lepus te certò manet. Ego me leporum captadorum non venisse subijcio, nec tui ipsorum rebus me implicarem, sed Chaldaice lingue, cuius eram percupidus, ediscende gratia, i. subiungit ille, certò lepus te manet: si ita est, inquam ego facilius capiatur: certè quicquid erit, officio canum sum gemur, tum discedentes, atque amicè officia mutua offerentes, quisque iter captum carpit.

Ipsò Natali Christi Domini Orsa profecti, et post aliquot dies Merdinum versus ire coacti, et quos commemoravi supra inuiseremus, multa vadosa loca non sine presenti periculo, diuina freti ope, prætergressus, post laboriosum dierum 14. iter Patriarcham adij, & ab illo, atque à D. Gabriele Decano Archiepiscoporum humaniter exceptus sum; cum diceret Patriarcha, dolere sibi non parum, quod eo in loco tum essemus, in quo non posset lautius, & commodius hospitem excipere. Pro-

Afectus erat ijs diebus D. Timotheus, ut dies Domini Natalitios cum grege suo duceret. Interea Patriarcha Priorem cænobij, ut Eliam accerseret, miserat, quem expectabat, etiam ut cum illo Natalem Christi suo more celebraret: sed intercluserant niues aditum. Itaque soli, dies illos festos egimus, & ego singulos suis munusculis donavi, Patriarcham præcipuo anulo aureo, elegantiarum arte perfectò, & in modum Crucis lapillis pretiosis distincto; Dominum etiam Gabrielem suo, sed pretio minori. Quicquid per hos dies debebamus, & lati, cum ecce 22. Ianuarij presentis anni, Merdini gubernator ad istud Monasterium Ianissarium, qui me, & Patriarcham iunctos in carcerem rapiat, mittit. Ego tum diuino quodam fauore eram in sylua, cum irrupit barbarus, cuius mentem cum seruus meus Franciscus turcica lingua intellexisset, monuissetque de periculo, nocte in tempesta, in vetera quadam antra abscondi me me, ibique sex dies egi: Patriarcha sequenti die à truculento milite in custodiam pedes inhumanè ductus est. Sex illi dies fluxerant, cum aduentat ille tandem expectatus Elias, cum duobus Archiepiscopis, Sacerdotibus aliquot, & Monachis, quorum causa antris eductus, cum ad salutandum eos venissem, ille me incredibili amoris significatione prosecutus, una cum alijs ad carnam tui coegit; & post eam cum ad eos qui aderant Archiepiscopos, & Religiosos chaldaicè uerba fecisset, interiorè uelle, quæ nigra tectâ de more Archiepiscopi gentis illius gestat, exuens, mihi donat, utq; indua illam, omnino iubet; Ego inquam Elias ueste hanc Rabbano Thoma dono, ut intelligant omnes, uelle me ijs omnibus obsequi, quæ ille Sanctiss. D.N. Papa nomine imperabit, utq; ita faciatis omnes in primis uolo. In sequenti die Emetum, ut equis suis ueherer, cur auit; vbi Patriarcha expectaremus, qui post multas, & graues arumnas, in pretium deniq; liberationis suæ 60. aureos persoluens, è carcere euasit. Mea quæ fors futura fuisset, Deus bonè, si in illos prædones captiuus incidissem?

Vigesimo Ianuarij, Monasterio egressus, ultimo eiusdem mensis Emetum ueni, cuiq; aduentum meum D. Timotheus Archiep. audisset, is cum uniuersis Sacerdotibus, careisq; accensis ad ipsam usq; primū templi uestibulum obuius mihi prodiit, et cum cātu in templum induxit, actusq; suo more Deo gratijs, osculati omnes manus meas, eundem mihi, quæ Patriarcha postea, nisi quod Crucem, & pastoralem baculum non prætulere, honorem detulere. Omnes item Chaldaei, qui Emetum incolunt, uesperis salutandi mei causa domum nostras uenere, & ut manus oscularentur, quorum pars præcipua in cæna mecum fuerunt pro more gentis apparatusissima, cum interim ad singula pocula pias laudes Sanctis-